

PONTIFICIA COMMISSIONE
CODICI IURIS CANONICI
RECOGNOSCENDO

COMMUNICATIONES

VOL. VII - N. 2

1975

COMMUNICATIONES

PONTIFICIA COMMISSIONE CODICI IURIS
CANONICI RECOGNOSCENDO

VIA DELL'ERBA, 1 - 00193 ROMA

NUM. 2

DECEMBRI 1975

EX ACTIS PAULI PP. VI

Constitutiones Apostolicae

Sacris Congregationibus de Disciplina Sacramentorum et pro Cultu Divino super pressis nova inde erigitur Sacra Congregatio Sacramentis Divinoque Cultui moderandis	109
--	-----

De Sede Apostolica vacante deque electio ne Romani Pontificis	112
---	-----

EX ACTIS SANCTAE SEDIS

Sacra Congregatio pro Doctrina Fidei

Declaratio de duobus operibus Professoris Ioannis Küng	142
--	-----

Sacra Congregatio pro Episcopis

Decretum de visitatione SS. Liminum deque Relationibus dioecesanis	144
--	-----

Sacra Congregatio pro Sacramentis et Cultu Divino

Monitum pro Ordinariis Italiae	148
--	-----

ACTA COMMISSIONIS

De opera Consultorum in apparandis canonum schematibus

1. Coetus De Magisterio Ecclesiastico . .	149
2. Coetus De Sacra Hierarchia	161

DOCUMENTA

I. In Prolusione Cursus studiorum de quaestionibus matrimonialibus, promoti ab Archisodalitio Curiae Romanae, Cardinalis Praeses tractavit thema « Indissolubilità del matrimonio e potere di sciogliere il vincolo »	173
II. In inauguranda IX sessione studiorum Societatis canadiensis iuris canonici, in civitate Montreal Cardinalis Praeses orationem habuit	187

NOTITIAE	200
--------------------	-----

INDICES

Indices anni 1975	201
Index locorum e Sacra Scriptura citatorum	203
Index locorum in quibus memoria Concilii Vaticani II servatur	204
Index locorum ex Concilii Vaticani II textibus citatorum	204
Index canonum Codicis Iuris Canonici citatorum	206
Index nominum personarum	207
Index rerum generalis	209

Acta Commissionis

DE OPERA CONSULTORUM IN APPARANDIS CANONUM SCHEMATIBUS *

I

COETUS DE MAGISTERIO ECCLESIASTICO

Coetui consultorum « de Magisterio ecclesiastico », inde ab ordinatione laboris Commissionis, commissa est recognitio Codicis Iuris Canonici canonum qui sub hoc eodem titulo habentur in Parte quarta Libri tertii Codicis I. C. Haec pars IV complectitur quinque titulos, videlicet: De divini verbi praedicatione (cann. 1327-1351), De Seminariis (cann. 1352-1371), De scholis (cann. 1372-1383), De praevia censura librorum eorumque prohibitione (cann. 1384-1405) necnon De fidei professione (cann. 1406-1408). Perpluribus in sessionibus, quas in aula Pontificiae Commissionis dictus coetus habuit, canones eorum titulorum iterum atque iterum recognitioni subiecti sunt.

Imprimis autem notandum est inscriptiones titulorum modo loquendi in Concilio Vaticano II adhibito esse aptatas. Titulorum inscriptiones itaque in schemate proponuntur eae quae sequuntur: « De divini verbi ministerio », loco inscriptionis « De divini verbi praedicatione »; « De educatione christiana », loco nempe inscriptionis « De scholis »; « De institutione clericorum », loco inscriptionis « De Seminariis »; « De libris et instrumentis communicationis socialis », loco inscriptionis « De censura librorum eorumque prohibitione ». Sub titulo speciali, qui inscribitur « De sacris missionibus », canones proponuntur de actionibus quae ad opus missionale atque ad operam missionariam pertinent. Tandem remanet titulus « De fidei professione ».

Ex eo autem quod canones eorum titulorum recogniti qui proponuntur a dicto consultorum coetu « De Magisterio ecclesiastico » compositi sunt, inferri non debet eosdem omnes in Codice recognito sub eadem generaliore inscriptione « De Magisterio ecclesiastico » insertos iri. Locus

* Uti saepius animadversum est, quae sub hac rubrica recensentur, nullam prorsus vim legis habent, sed tantum describunt laborem Coetuum studiorum ad schemata apparanda.

eorundem titulorum et canonum in Codice recognito postea definiendus est, inspecto uti patet eorundem cum aliis materiais novi Codicis nexu.

In hac brevi relatione laboris coetus, conspectus traditur legislationis recognitae quae proponitur de Magisterio ecclesiastico in genere, de Divini verbi ministerio necnon de Educatione christiana.

DE MAGISTERIO ECCLESIASTICO IN GENERE

Sub hac inscriptione traduntur canones de Magisterio ecclesiastico generales, qui in Codice I. C. habentur a can. 1322 ad can. 1326.

Servatur principium generale quod in Codicis I. C. can. 1322, § 1, enuntiatur, itemque norma vi cuius Ecclesiae officium et ius est, independenter a qualibet humana potestate, omnes gentes evangelicam doctrinam docendi. Adduntur vero normae, in can. sequenti, quibus una ex parte affirmatur omnes homines, cum veritatem in iis quae ad Deum Eiusque Ecclesiam pertinent querere teneantur, obligari ad veritatem evangelicam veramque Ecclesiam, quam cognoscant, amplectendam et servandam, atque alia ex parte asseritur eosdem a nemine umquam contra propriam conscientiam ad amplectendam fidem catholicam coactione adduci posse. Quae normae innituntur doctrina Concilii Vaticani II, in Declaratione « Dignitatis humanae », nn. 1, 2 et 4 tradita.

Servantur quoad substantiam praescripta cann. 1323 et 1324, quibusdam tamen magis determinatis.

Ad can. 1325 quod spectat, definiuntur, non ut in Codice I. C. quinam veniant nomine haereticorum, apostatarum et schismaticorum, sed quid sit heresis, apostasia et schisma, atque affirmatur heresis, apostasiae aut schismatis reos non esse nisi qui mala fide talia commiserint.

Additur deinde norma determinans quibusnam competit promovere et dirigere motum oecumenicum quem vocant, necnon norma, vi cuius foventae sunt publicae precatioes pro christianorum unitate inter catholicos, etiam cum non catholicis convenientes, servatis quidem praescriptis ab Episcoporum Conferentiis statutis.

Tandem, servatur norma quae habetur in can. 1326 Codicis I. C.

TITULUS: DE DIVINI VERBI MINISTERIO

Ad modum introductionis, habentur canones, quibus determinatur imprimis quibusnam competit munus Evangelium annuntiandi, quaenam deinde in genere sint media ad doctrinam christianam adhibenda et tandem de requisita missione canonica agitur.

Affirmatur munus Evangelium annuntiandi quoad universam Ecclesiam competere Episcopis, in communione et sub auctoritate Romani Pontificis, in Collegio unitis, atque singulari modo demandatum esse Romano Pontifici,¹ quoad vero assignatas sibi dominici gregis partes idem munus competere Episcopis, sive singulis, sive quandoque aliquibus coniunctis.² Determinantur etiam partes quas ut Episcoporum cooperatores habent presbyteri, praesertim parochi aliquique quibus animarum cura concredita est, partes quoque diaconorum, necnon partes quas in auxilium Episcoporum habent sodales Institutorum vitae consecratae atque idonei christiani laici.

Inter media ad doctrinam christianam annuntiandum adhibenda principem locum semper tenent praedicatio atque catechetica institutio, sed et alia media momentum habent. Duplex inde caput sub hoc titulo habetur, scilicet « De verbi Dei praedicatione » atque « De catechetica institutione ».

De missione canonica requisita tandem enuntiatur principium quod in Codice I. C. traditur in can. 1328.

Caput I. De verbi Dei praedicatione

In hoc Capite I de verbi Dei praedicatione in genere agitur, quocumque modo fiat, et quidem antequam normae traduntur de catechetica institutione, de qua agitur in Cap. II. Hic ordo dicendi magis logicus videtur quam ordo in Codice I. C. servatus, in quo scilicet primo de catechetica institutione traduntur praescripta et deinde de sacris conzionibus.

Imprimis sub hoc Capite statuitur quinam ipso iure facultatem habent praedicandi atque quinam aliis facultatem praedicandi concedere possunt.

Ipsa iure facultatem praedicandi habent Episcopi, etiam titulares, et quidem ubique terrarum, nisi loci Ordinarius aliquis in casibus particularibus id expresse renuerit.³ Ipsa iure etiam Ordinarius loci ius habet praedicandi in suo territorio, in quavis ecclesia, licet exempta. Ordinarii

¹ Const. dogm. *Lumen gentium*, nn. 23 et 25.

² Decr. *Christus Dominus*, n. 3.

³ Cfr. PAULUS VI, Litt. Apost. Motu Proprio datae *Pastorale munus*, 30 nov. 1963, II, n. 1, A.A.S. 56, 1964, 11.

Institutorum vitae consecratae eandem facultatem habent praedicandi, pro suis sodalibus dumtaxat.

Alii vero omnes, si facultatem praedicandi non habeant vi officii sibi collati, cui iure praedicandi munus inhaereat, eandem facultatem recipere debent ab auctoritate competenti. Haec auctoritas competens est loci Ordinarius, cuius est facultatem praedicandi pro suo territorio concedere aliis clericis, sive saecularibus sive sodalibus alicuius Instituti vitae consecratae. Attamen ad praedicandum in clericali Instituto vitae consecratae exemplo coram eiusdem sodalibus, et aliis de quibus in can. 514, § 1 (Codicis I. C.), facultatem facit eiusdem Moderator ad normam constitutionum competens. Tandem — nova quidem est haec norma — ad sermonem de doctrina christiana faciendum via radiophonica aut televisifica, servanda sunt praescripta ab Episcoporum Conferentia regionis statuta. Eiusdem Episcoporum Conferentiae est normas statuere quibus definitur condiciones et licentiae requisitae ut sacerdotes extradioecesi, sive saeculares sive sodales Institutorum vitae consecratae, a parochis aut ecclesiarum rectoribus invitari possint ad praedicationem habendam. Servantur demum quoad substantiam Codicis I. C. praescripta de licentia requisita, de qua in cann. 1338, §§ 2 et 3, et 1339, § 2.

Sequuntur deinde normae quibus statuitur quibusnam facultas praedicandi concedi possit. Regula est eandem facultatem per se solis sacerdotibus et diaconis concedi posse atque ad praedicandum in ecclesia non esse admittendos laicos, nisi, de iudicio Ordinarii loci, certis in adjunctis necessitas id requirat aut certis in casibus particularibus utilitas id suadeat, iuxta Episcoporum Conferentiae praescripta. Mens autem est laicos admitti non posse ad praedicationem quae revera sit pars ipsius sacrae Liturgiae, uti v.g. est homilia in celebratione eucharistica.

De praedicationis formis proponuntur normae, in quibus attenduntur quae de homilia statuuntur a Concilio Vaticano II⁴ atque a S. Congregatione Rituum, in Instructione ad exsecutionem Constitutionis de Sacra Liturgia recte ordinandam, d. 26 sept. 1964.⁵ Inter praedicationis formas eminent homilia, quae scilicet in omnibus Missis diebus dominicis et festis de pracepto, quae in ecclesia aut in oratorio aut sub dio, concurrente populo, celebrantur, habenda est. Episcoporum Conferentiae praeterea est normas statuere de praedicationibus habendis tempore Quadragesimae vel Adventus, aut etiam aliis temporibus vel occasionibus, in quibus iuxta rerum adjuncta id opportunum videatur.

⁴ Const. *Sacrosanctum Concilium*, n. 52.

⁵ S. Congr. Rituum, *Instructio* die 26 sept. 1964, A.A.S. 56, 1964, 877-900, n. 53.

De doctrina quae in praedicationibus proponenda est normae etiam enuntiantur innixae praescriptis quae a Concilio Vaticano II edicta sunt in Decreto *Christus Dominus*.⁶ Item, iuxta praescripta eiusdem Decreti, asseritur doctrinam christianam proponendam esse modo auditorum condicioni accommodato atque ratione temporum necessitatibus aptata, et curandum esse ut quaestionibus quibus maxime anguntur eo tempore homines responsum paebeatur. Iniungitur denique a parochis, certis temporibus, iuxta Episcoporum Conferentiae praescripta, ordinandas esse praedicationes quas exercitia spiritualia missionesve vocant, quibus nempe praecipuae christianae doctrinae veritates fidelibus exponuntur.

Tandem norma proponitur, vi cuius sacri ministri, praesertim Episcopi et parochi, curare debent ut Dei verbum iis quoque nuntietur qui ob vitae suae condicionem communi et ordinaria cura pastorali non satis fruuntur aut penitus carent, itemque norma, cuius ratione iidem ministri providere debent ut Evangelii nuntium ad non credentes in territorio degentes perveniat.

Caput II. *De catechetica institutione*

Uti in Codice I. C., can. 1329, imprimis affirmatur gravissimum et proprium pastorum praesertim animarum officium catecheticam populi christiani institutionem curandi.

Dum vero in Codice I. C. praesertim de officiis parochi agitur, in proposito textu recognito canonum Codicis 1330-1336, determinantur partes quas in institutione catechetica curanda habent Episcoporum Conferentiae, Episcopi dioecesani, parochi, presbyteri et diaconi, sodales Institutorum vitae consecratae necnon ceteri christifideles, et in specie parentes.

Episcoporum Conferentiae est, servatis normis ab Apostolica Sede praescriptis atque votis suis cum eadem communicatis, pro suo cuiusque territorio, normas de re catechetica edicere, curare ut Directorium, catechismi aliaque catechesis instrumenta rite elaborentur et divulgentur necnon operam impendere ut incepta catechistica apte foveantur et coordinentur. Praeterea instituatur, apud Episcoporum Conferentiam, Officium catechisticum, cuius est prospicere universae nationis vel regionis ecclesiasticae necessitatibus.

Episcopi dioecesani est, servatis normis ab Episcoporum Conferentia statutis, praescripta edicere, quae ad populum in doctrina christiana insti-

⁶ Decr. *Christus Dominus*, n. 12.

tuendum spectant; quae praescripta omnes obligant, etiam sodales Institutorum vitae consecratae, licet exemptos. In singulis dioecesibus Officium catechisticum habeatur.

Parochi, vi muneric sui, religiosam institutionem puerorum, iuvenum et adulorum curare tenentur. Ipsi vero adiutricem operam praestare tenentur ceteri presbyteri atque diaconi in paroecia degentes, sodales etiam Institutorum vitae consecratae, immo et alii christifideles, viri ac mulieres, qui sufficienti doctrina praediti sunt. Modo peculiari officium affirmatur parentum, qui quidem sunt praecipui filiorum educatores, itemque eorum qui parentum locum tenent, atque patrinorum, quibus scilicet obligatio est curandi ut pueri sibi subiecti vel commendati catechetica institutione debite erudiantur.

Ulterius Episcopo dioecesano committitur ut, attentis Episcoporum Conferentiae praescriptis, normas statuat: 1° de pueris ad sacramenta paenitentiae et confirmationis suscipienda et ad SS. Eucharistiam primo recipiendam rite praeparandis; 2° de iuvenibus qui primam Communionem receperint uberius et perfectius in doctrina christiana excolendis; 3° de catechetica institutione adulorum etiam, et in specie de apte in doctrina de matrimonii sanctitate deque coniugum et parentum officiis erudiendis iis qui nuptias ineundas intendant.

De ratione catechetica institutionem tradendi deinde praebetur norma: oportet ut haec S. Scriptura, Traditione, Liturgia, Magisterio viaque Ecclesiae innitatur, et omnibus tradatur adhibitis auxiliis, subsidiis didacticis et communicationis mediis, quae efficaciora videntur.

Tandem obligatio affirmatur locorum Ordinariorum curandi ut qui ad catechetica institutionem mittantur, ad munus suum rite adimplendum debite praeparentur.⁷

TITULUS: DE EDUCATIONE CHRISTIANA

Quae in Codice I. C. habentur praescripta sub Titulo *De scholis* (cann. 1372-1383), funditus recognita et ordine magis logico exponuntur sub latiore titulo *De educatione christiana*. Qui titulus in proposito textu recognito fundamentales imprimis comprehendit de educatione christiana normas quibus subsequuntur tria capita, in quibus praescripta traduntur: 1. de scholis; 2. de studiorum superiorum institutis; 3. de universitatibus et facultatibus studiorum ecclesiasticorum.

⁷ Cfr. Decr. *Christus Dominus*, n. 14.

Normae quaedam fundamentales

Ius christifidelium imprimis asseritur ad educationem christianam, qua ad maturitatem humanae personae prosequendam adducantur atque insimul in mysterio salutis cognoscendo et vivendo instruantur.

De officio educationem christianam curandi deinde praescripta trahuntur, in quibus magis in specie agitur de obligatione et iure parentum in educatione curanda atque de parte quam in eadem habet Ecclesia.⁸

Ad parentes quod attinet, in primo eorundem obligatio et ius ad educationem filiorum affirmatur necnon fundamentum eiusdem obligationis et iuris, quod scilicet est factum quod vitam filiis contulerunt. Inde infertur parentes christianos obligationem et ius habere ad educationem christianam filiorum curandam. Stabilitis ita eorum obligatione et iure, sequuntur normae enuntiantes aliqua quae exinde deducuntur consecutaria et determinationes. Parentum est obligatio et ius: 1° ambitum familiae propitium curare, qui integrae filiorum formationi personali et sociali faveat; 2° eos, in educationis munere exercendo, participes facere quorum opera filiorum educationi aptius providere valeant, et ideo eligere media et instituta, quibus eidem educationi christiana melius prospicere possint; 3° iis frui subsidiis, quibus in educatione filiorum propriae conscientiae consentanea procuranda indigent, quibus nempe egent ut filiis tradatur formatio christiana harmonico gressu cum profana progrediens.

Ad Ecclesiam quod spectat, distinguitur natura eius obligationis et iuris prout agitur de educatione religiosa vel christiana aut de formatione in iis quae vitam respiciunt terrenam. Obligatio et ius Ecclesiae ad curandam educationem christianam innititur eiusdem missione divina, vi cuius viam salutis omnibus hominibus annuntiare atque creditibus vitam Christi communicare atque in eadem evolvenda iis auxilio esse debet. Obligatio et ius Ecclesiae ad formationem in iis quae vitam terrenam respiciunt alio fundamento innititur: quae ad formationem in disciplinis terrenis spectant ad commune omnium patrimonium pertinent, ita ut et Ecclesia suam adiutricem operam ad eandem formationem præbere possit, immo et speciali ratione hanc operam præstare tenetur, quatenus nempe disciplinae terrenae cum hominis vocatione supernaturali intime conexae sint.

Post haec, modo generali enuntiatur quid educatio christiana importet: integrum personae humanae formationem persequi debet, in ordine

⁸ Cfr. Decl. *Gravissimum educationis*, nn. 3 et 7.

ad finem eius ultimum et simul ad bonum commune societatum, quarum homo membrum exstat et in quarum actione partem habet. Infertur inde et parentes et animarum pastores atque omnes qui in educatione curanda partem habent prospicere debere ut ipsa ratio vivendi communitatis in qua iuvenes formantur atque ambitus socialis in quo vivunt eorum educationi faveant utque omnia adhibeantur media quae ad eandem educationem conferre possint.

Tandem declaratur institutionem educationemque in doctrina christiana magni esse faciendam ab omnibus christifidelibus, quippe qui omnes solliciti esse debeant ut nuntium evangelicum, ad quod cognoscendum et vivendum institutio iuvenum maxime confert, efficacius diffundatur et recipiatur.

Caput I. De scholis

Affirmato imprimis momento quod habent scholae, quae quidem parentibus in educandis filiis praecipuo auxilio sunt, norma traditur, vi cuius una ex parte parentes obligatione tenentur arcte cum magistris scholarum cooperandi atque alia ex parte magistri, qui scilicet locum tenent parentum, obligantur ad intime cum parentibus collaborandum.

Principium fundamentale deinde asseritur: parentes, quippe quibus primum et inalienabile officium et ius sit filios educandi, in scholis eligendis vera libertate gaudeant oportet; quare christifideles solliciti esse debent ut a societate civili haec libertas parentibus agnoscat.

Subsequuntur dein normae definientes quibusnam scholis parentes filios concedere possint. Quae normae hae sunt quae sequuntur: 1° quantum id sinant adiuncta, parentes filios concredat illis scholis quae uti reapse catholicae ab Hierarchia sunt agnita; ⁹ 2° si tales scholae deficiant, filios concredat scholis in quibus institutioni doctrinae christianae providetur, praesertim iis quae iure particulari declarantur a catholicis frequentari posse; 3° si vero et tales deficiant scholae, parentes ipsi obligatione tenentur curandi, ut extra scholas filiorum educationi christiana prospiciatur, iuxta normas ab ecclesiastica auctoritate competenti latas. Iamvero, Episcoporum Conferentiae, atque, eiusdem praescriptis attentis, Episcopo dioecesano competit normas edicere, quibus officia definiantur parentum, quibus, certis in adiunctis, filios scholis non catholicis concedere licet.

De scholis quae reapse sint catholicae, in quibus nempe educatio tradatur christiano spiritu imbuta, normae etiam traduntur. Ius est Ecclesiae

⁹ Cfr. Decl. *Gravissimum educationis*, n. 9.

scholas cuiusvis disciplinae, elementarias scilicet et medias, atque superiores, etiam Universitates et Facultates, condendi. Si praesto non sint, quae ab inceptis privatis aut ab ipsa societate civili erectae sunt, scholae in quibus educatio tradatur spiritu christiano imbuta, Episcopi dioecesani est curare ut condantur, et quidem non tantum elementariae et mediae, sed etiam, ubi id expediat, scholae quas profesionales et technicas nuncupant. Curare debent scholarum catholicarum moderatores atque advigilare debent Episcoporum Conferentia et loci Ordinarius ut institutio quae in iisdem traditur pari saltem gradu ac in aliis scholis regionis ratione scientifica et paedagogica sit praestans.

Tandem denique normae habentur quibus de competentia agitur auctoritatis ecclesiasticae quoad educationem iuventutis religiosam in quibuslibet scholis et institutis atque quoad scholas catholicas in aliquo territorio sitas sicut et instituta et opera, quae ad institutionem formationemve christianam populi Dei pertinent.

Institutio et educatio iuventutis religiosa catholica, quae in quibuslibet scholis sicut et quae variis communicationis socialis instrumentis procuratur, Ecclesiae auctoritati subiicitur, in specie Episcoporum Conferentiae et loci Ordinarii, quorum est eandem ordinare et in eandem invigilare. Itaque Episcoporum Conferentiae pro scholis interdioecesanis sui territorii, et loci Ordinario pro sua dioecesi, ius est nominandi aut approbandi magistros religionis, itemque, si religionis morumve ratio id requirat, exigendi ut amoveantur. Eorundem item est libros ad religiosam educationem adhibendos approbare et, si casus ferat, requirere ut amoveantur. Servare quidem debent praescripta quae de institutione religiosa tradenda statuuntur in Directorio totius Ecclesiae et in Directorio alicui regioni proprio.

Ad scholas catholicas quod attinet, loci Ordinario competit ius invigilandi et invisendi eas scholas quae in suo territorio sunt sitae, etiam eas quae a sodalibus Instituti vitae consecratae conditae sunt et diriguntur. Eadem etiam competit praescripta edere quae ad generalem pertinent scholarum catholicarum ordinationem; et haec praescripta valent de scholis etiam quae a sodalibus Instituti vitae consecratae, licet exemptis, diriguntur, salva quidem eorundem quoad internum earum scholarum modus ramen autonomia.¹⁰ Similis norma valet quoad instituta et opera, quae ad institutionem formationemve christianam populi Dei pertinent necnon ad usum quod spectat instrumentorum communicationis socialis, quate-

¹⁰ Cfr. Deqr. *Christus Dominus*, n. 35; Litt. Apost. M. P. datae *Ecclesiae Sanctae*, I, 39, § 2.

nus ad formationem christianam impertiendam adhibeantur. Tandem curare debent Episcopi dioecesani, in singulis saltem regionibus ecclesiasticis, ut communis quantum fieri possit de re scholastica adhibeatur agendi ratio utque inter scholas diversarum regionum apta foveatur coordinatio atque, quatenus adiuncta id sinant, etiam collaboratio.

Caput II. *De studiorum superiorum Institutis*

Sub hoc capite agitur de diversis studiorum superiorum Institutis, de Universitatibus et Facultatibus praesertim, in quibus diversae excoluntur et traduntur disciplinae scientificae. Magni eas facit Ecclesia, ut in priore capituli canone affirmatur, quia ad personae humanae promotionem altioremque hominum culturam conferunt atque per profundorem rerum cognitionem cui adlaborant ad veritatem revelatam quoque altius cognoscendam auxilio esse valent.

Prima quae de eis enuntiatur norma ea est, vi cuius nulla studiorum Universitas nomen « Universitas catholica » gerere possit, nisi quae ab Apostolica Sede vel Episcoporum Conferentia erecta sit, aut cui nomen « Universitas catholica » ab eadem Apostolica Sede vel ab Episcoporum Conferentia concessum sit.

De earundem erection proponitur norma quae sequitur: ubi id fieri possit et expedit, Episcoporum Conferentiae curent ut habeantur Universitates, in ipsarum territorio apte distributae, in quibus nempe variae disciplinae, servata quidem earum legitima autonomia, ita tradantur ut universalis praesentia efficiatur mentis christiana atque ratio habeatur veritatis revelatae, prout ab Ecclesiae Magisterio declaratur. Sequitur inde haec alia norma: Episcoporum Conferentiae aut Episcopi dioecesani quorum interest solliciti esse debent ut in Universitate catholica fideliter principia doctrinae christianaer serventur.

Studia theologica, secundum declarationem Concilii Vaticani II,¹¹ in Universitatibus catholicis, immo, ubi id expedit et fieri possit, etiam in aliis Universitatibus promovenda sunt. Ideoque curare debent Episcoporum Conferentiae ut in iis adsit Facultas S. Theologiae aut saltem cathedra S. Theologiae, in qua lectiones laicis quoque alumnis accommodatae traduntur. Praeterea, in singulis Facultatibus Universitatis catholicae lectiones habeantur, in quibus eae praecipue tractentur quaestiones theologicae quae cum disciplina earundem facultatum sunt conexae. Nota-

¹¹ Cfr. Decl. *Gravissimum educationis*, n. 10.

tur eos qui in Universitatibus lectiones tradunt theologicas missione egere canonica.

De cooperatione curanda inter varias Universitatis facultates necnon cum aliis Universitatibus norma etiam proponitur.

Tandem necesse est ut christifidelibus adultis paebeatur possilitas ad profundorem in religione christiana consequendam institutionem, et ideo Episcoporum Conferentiarum est ordinare lectiones et colloquia de quaestionibus religiosis atque, ubi id fieri possit, condere scholas superiores vel academias scientiarum religiosarum.

Caput III. *De Universitatibus et Facultatibus studiorum ecclesiasticorum*

In primo huius capituli canone de fine agitur quem Universitates Facultates studiorum ecclesiasticorum persequuntur deque methodo in cultu scientiarum ecclesiasticarum et alumnorum institutione adhibenda.

De erectione earum Universitatum et Facultatum normae proponuntur quae sequuntur. Constitui tantum possunt erectione a Sancta Sede facta aut approbatione ab eadem concessa. Ut vero valore scientifico vere sint praestantes atque in variis terrae partibus apta ratione distribuantur, iudicium de earum erectionis opportunitate competit sive Apostolicae Sedi, audita Episcoporum Conferentia cuius interest, sive ipsi Episcoporum Conferentiae regionis, audita quidem Apostolica Sede.

De earum statutis et studiorum ecclesiasticorum ratione habentur normae sequentis tenoris. Singulae Universitates et Facultates studiorum ecclesiasticorum, etiam quae sub moderamine sunt cuiusdam Instituti vitae consecratae, sua habere debent statuta, ab Apostolica Sede approbata. Praeterea habere debent suam studiorum rationem, quae determinanda est ab Apostolica Sede et, servatis normis ab eadem editis, ab auctoritate ad quam, secundum earum statuta, suprema hac de re in iisdem ordinatio spectat. Episcoporum Conferentiae aut Episcopi dioecesisani quorum interest solliciti esse debent ut in iisdem Universitatibus Facultatibusque fideliter principia doctrinae christianaee serventur.

De alumnis earundem Universitatum Facultatum normae etiam proponuntur. Debent locorum Ordinarii et Moderatores Institutorum vitae consecratae competentes ad easdam mittere iuvenes et clericos et sodales, indole quidem, virtute et ingenio praestantes, quatenus id dioecesis vel regionis ecclesiasticae aut Instituti aut etiam ipsius Ecclesiae universae bonum id requirat. Debent Ordinarii curare ut eorundem alumnorum

institutioni spirituali debite provideatur; tenentur insuper iidem Ordinarii, sicuti et Universitatum Facultatumve moderatores et professores, prospicere alumnorum formationi pastorali.

Tandem denique de necessaria cooperatione agitur inter varias earundem Facultates atque, quatenus id expediat, inter easdem Universitates Facultatesque atque alias Universitates et Facultates, etiam non ecclesiasticas, ut coniuncta opera, conventibus, investigationibus scientificis coordinatis aliisque mediis, ad maius scientiarum incrementum consipient (**W. ONCLIN, Relator**).